

† Adm. R. P. Ioannes Maria Chouvenç (1876–1932)¹

(*Vice-Prov. Peruanae*)

Die 24 Martii 1932, Fer. V in Coena Domini, in pago Peruviano ab Indianis inhabitato praematura morte abreptus est Rector domus Huanta, qui per 14 annos hoc munus gesserat et paene totam vitam suam sacerdotalem, 27 annos continuos, Huantae degerat, verus urbis et locorum quae circumiacent apostolus, maxime inter Indianos singulari prorsus fruens auctoritate.

Ioannes Maria Chouvenç humili loco natus est in Arverniae viculo Le Villard (*Haute Loire*) d. 16 Maii 1876. Parentes erant ditiores liberis — tredecim numero — et pietate, quam mammona. Puer ab anno sexto ad undecimum gratuito educabatur in collegio religiosorum laicorum loci

¹ Longiorem vitam vide infra p. 199 annuntiatam.

Rientort, ubi eius patruus inter magistros erat. Deinde in Seminarium minus suae dioeceseos Aniciensis (*Le Puy*) ingressus est, et postea annis 1895–1901 ibidem in Seminario maiore vixit, excepto illo anno, quem in castris urbis inter milites transigere coactus est.

In pueritia et adolescentia Ioannes Maria a viis Domini non deflexit. Defervescente quondam in Seminario pietate alumni, ad meliorem frugem mox redactus est exemplis duarum sororum, quae se totas Deo inter pauperes Olarissas devoverant, et in fine cuiusdam anni scholastici Seminarii praeses publice edicere potuit: « Alumno Chouvenc oportet gratulari de bonis exemplis toto anno datis. Mihi probatur nec quidquam in eo reprehendendum habeo ».

Inter chartas a defuncto confratre reliquias etiam duplex pergamena reperta est; prior, subscripta d. 31 Aug. 1895 a Raymundo Poincaré, tum publicae instructionis administratio, Ioannem M. Chouvenc renuntiat Bacclaureum (*Bachelier de l'enseignement secondaire classique avec mention Lettres-Philosophie*); posterior, signata a. 1897 per Archiep. Parisiensem Eñum Card. Richard, eundem creat « Laureatum Philosophiae scholasticae Auditorem ».

In Seminario maiore, quod Sulpiciani moderabantur, iuvenis levita id repperit, quod antea eum defecerat: optimam directionem spiritualem. Eius spiritus moderator, venerandus senex 74 annorum, singulis septimanis praeter confessionem horam dimidiā vel etiam integrā clienti dicabat. Deus ipse vero magis magisque eum ab iis quae in hoc mundo sunt avellere sategit; nam non modo duos patruos religiosos, sed etiam ambos parentes paucorum annorum spatio morte abstulit.

Ad sacerdotalem vocationem Deus religiosam superaddere dignatus est, instrumento suo utens sacerdote Mordedœuf, quem Ioannes Maria iam puer 13 vel 14 annorum cognoverat, et qui postea Alfonsiano Instituto nomen dedit. Cum eo itaque iuvenis Chouvenc vivum litterarum commercium habuit, etiam tempore servitii militaris, et eo invitante d. 8 Sept. 1900 in sacello novitiatus Gannat caeremoniae vestitionis interfuit. Recordationem huius diei, quo, ut ipse dicebat, in sinu Congregationis quasi conceptus est, nunquam amisit, quinimmo recurrente eodem festo anno sequenti in eadem domo ipse habitum Redemptoristæ induit, postquam in Seminario studia theologica absolvit et ordines maiores recepit, sacerdotio auctus kal. Iun. 1901.



In novitiatu magistrum habuit R. P. Stanislaum Bédon et duos alios bonos sacerdotes viae comites, futuros PP. Sanglard et Lanfrey, qui ipsi quoque iam dormiunt in somno pacis. Eo tempore Pl. R. P. Provincialis Ioannes Kannengiesser manifestavit consilium suum inter medios Indianos Peruviae novas sedes condendi, et R. Fr. Chouvenc inter primos fuit, qui se ultiro huic missione offerrent. Quo citius autem sacrificiis vitae missionalis sese assuefaceret, novitius noster petuit et obtinuit licentiam pluries in hebdomade quietem nocturnam in pavimenti tabulis capiendi, quanquam postea ne tabulas ligneas quidem semper pro dormitione inventurus erat!

Anno novitiatus integro absoluto tamen non statim vota nuncupare sinebatur, cum servitii militaris negotium nondum plane in tuto collocatum videretur, sed per aliquod menses Anicum remissus est, donec festo Immaculatae Conceptionis 1902 se in perpetuum Congregationi consecravit, et in domo Attert quidem, quo interim novitiatus persecutionis causa translatus erat.

Haud longa mora, et R. P. Chouvenc ad litora Pacifici australis navigavit atque ipsa Fer. VI Parasceves, 10 Apr. 1903, ad continentem Americae meridionalis escensionem fecit. Undeviginti annis post, Fer. V in Coena Domin 1932, navicula eius ad aeternitatis portum advenit, ingenti meritorum sarcina onusta.

P. Chouvenc, simulac suum apostolatus campum assecutus est, vi illa voluntatis et acrimonia eius plane propria addiscendo sermoni Hispanico et Indianorum idiomati *Quichua* vel *Quechua* incumbere coepit, adiuncturus mox linguam tertiam difficultem, *Aymara* seu *Campa*, qua Indiani nomades adhuc gentiles, *cunchos* dicti, utuntur. Insuper brevi post adventum is, qui a nullo sacrificio abhorrebat, grassante Limae peste bubonica, his infirmis in quoddam hospitale congregatis spiritualem curam forti animo praestitit.

E Limano collegio a. 1904 primas expeditiones in terram Indianorum fecit, comite R. P. Eugenio Hengbart, tum iam probato milite (*1856). *Par nobile fratrum!* Uterque propositi tenacissimus, et tamen, quia uterque virtute praestabat, *pax et bonum* eorum sors fuit. Deo autem ita disponente ambo eodem fere tempore ad recipienda praemia caelestia avocati sunt, siquidem P. Hengbart kal. Mart. 1932 Limae vita defunctus est. A die 8 Aprilis 1904 ad d. 13 Iulii circ. 4 000 confessionum exceperunt, 4 328 sacras particulas distribuerunt, 2145 fideles sacramento confirmationis munierunt. Secutae sunt aliae missiones haud minus frugiferae.

Ineunte a. 1905 P. Chouvenc Huantam missus est, in qua urbe 20 000 incolarum (inclusis pagis vicinis), maxima ex parte Indianorum, nostri anno superiore sedem fixerant, centrum apostolatus fecundi.¹ Hic igitur

¹ *Analecta* IV (1925) 69-74.

reliquum dimidium existentiae terrestris transacturus erat, nunquam tamen dicens: *Haec requies mea*; nam vir adeo actuosus quiete tranquilla frui prorsus non poterat nec satiari posse labore videbatur.

Primum regioni orientali montuosae et immensis silvis tectae, quae vulgo *Montaña* dicitur, laetum salutis nuntium attulit. Praeter indigenas iam a tribus saeculis baptizatos ibi etiam gentiles inveniuntur e tribu Campa, et confrater noster eorum linguam satis callebat, ut amplius 50 adultos ad fidem convertere potuerit. Atvero, cum perseverantiae horum neophytorum nomadum non satis provisum esset, Superiores statuerunt stationem missionalem ad flumen Apurinac erigere (a. 1907). Sed quo die Pl. R. P. Desnoulet eam inauguravit, eodem Huantam allata est decisio Delegati Apostolici totam hanc regionem pertinere ad praefecturam (hodie vicariatum apostolicum) *de Uyacali*, Patribus Franciscanis commissam. Hinc postea praedium quoque a Sinensi christiano nobis in illa plaga dono datum, cui speciosum nomen *Quinpitiriqui*, venumdari necesse erat.

Itaque P. Chouvenc, qui eodem a. 1907 secundum novitiatum peregit, desiderio evangelizandi populis ethnicis plane incultis renuntiare debuit. Tamen ardente Indianorum amorem nunquam amisit, sicut eius epistolae testantur¹. Postquam autem a. 1909, annos natus 33, Rector collegii Huanta renuntiatus est, fere semper ibi constituit, paulatim factus quodammodo « anima Huantae ». Rectoris munus retinuit usque ad a. 1918, et sex annis sequentibus fuit parochus loci, quandoquidem usque ad finem a. 1924 paroecia Huanta nobis commissa erat. Quartum et quintum communitatem in triennium gubernare iussus est a. 1927 et a. 1930.

Dilectus confrater poterat revera sua facere verba Apostoli gentium: *Omnibus onnia factus sum, ut omnes facerem salvos*². Modo in ecclesia vel in nostra domo secessuum verbum Dei praedicabat vel sacramenta administrabat; modo in schola paroeciali parvulos instruebat vel qua « inspector publicae instructionis » alias scholas ex officio visitabat; modo aegrotantibus religionis solacia apportabat; modo convictus illicitos in matrimonia christiana commutabat; modo loca plus minus vicina adibat, ubi nostri sodalicia S. Familiae vel Supplicationem in honorem B. M. V. de Perpetuo Succursu instituerant, ut Indianos ope confessionis et communionis menstruae in bono confirmarent; modo laborabat in componendo magno vocabulario Hispanico-Quichua, cuius sex volumina, industriae ferreae fructus, adhuc editorem operiuntur.

Quo anno P. Chouvenc Rector creatus est, communitas habitabat in quadam domo vasta pro exercitiis habendis dioecesi donata, et novi col-

¹ Cfr. *L'Apôtre du Foyer* VIII (1908), 298 ss. (« Les Indiens sont l'objet constant de ma plus vive tendresse... Pour ces pauvres abandonnés, je suis prêt à donner mes sueurs et mon sang ») IX (1909), 739 ss. X (1910), 44 ss.

² 1 Cor. 9, 22.

legii nostri fabrica tantum duobus fere pedibus e solo eminebat. Aegerime autem cultas terras incolentes animis fingere possunt difficultes innumeratas, quas exstructio novae magnaenque domus in illa regione gignit, ubi opifices caementarii, muratores, lignarii, ferrarii, artis suae gnari, plane deficere solent. Nihilominus iuvenis Rector id obtinuit indefessa opera, ut cum confratribus d. 8 Dec. 1911 in novam sedem, utut neutiquam absolutam, transmigrare posset. Postea etiam nova et pulchra aedes sacra in Cordis Iesu honorem incepta et exeunte a. 1924 cultui tradita est.

In historia nostra bis saeculari, ni fallimur, est factum unicum, quod P. Chouenc a civibus Huantinis consul seu praefectus (*Maire*) electus est et cum Superioris venia hoc munus politicum etiam per aliquod tempus gessit. Alias fuit saltem consiliarius municipalis; verum edoctus experientia sane minus grata, postea, cum a. 1929 ab ipso gubernio Peruviae iterum Huantinis civibus praefectus esset, hoc officium statim respuit.

Is, qui penes Indianos auctoritate gaudebat illimitata et ab iis quasi adorabatur, inter « albos » et « mestizos » etiam suos adversarios habebat, et quodam die quidam deputatus impius in pleno consilio legibus ferundis in Patrem Chouenc eiusque sodales invehebatur, quasi Indianorum seditionem parassent. — Anno 1931 confrater defunctus dignus est habitus qui cum coapostolis captivitatem 6 dierum pateretur ob non servatam iniquam legem matrimonii civilis¹. Negotium habuit eitum minus gloriosum quam nostrarium zelus meruerat, id quod Rectori Huantino vivum dolorem attulit.

Post diurnum intervallum 17 annorum a. 1926 P. Chouenc iuvenili ardore ad missionales expeditiones inter Indianos rediit et in hoc campo praeliorum et victoriarum etiam generosus miles occubuit. A. 1931 vaccinationem antityphicam subierat; nihilosecius iam exacto anno typhus eum, quinquagesimum sextum aetatis annum agentem, e vivis abstulit. Die 25 Februarii 1932 cum aliis 4 sociis ad districtum Andahuaylas proficiscitur. Nunquam fuerat magis iocosus magisque promptus ad linguam Quichua docendam. Kal. Martii missionem in loco San Jerónimo cum R. P. Speckert incipit et ambo 12 diebus excipiunt 1045 confessiones, confirmationis sacramentum fidelibus 1062 dispensant et 32 matrimonia benedicunt. Iam toto tempore P. Chouenc minus belle se habebat, praesertim ob plagam illam claviculae, ante 12 annos in equitando acceptam, post quinquennium in altitudine 4000–5000 metr. clausam, nuper vero reapertam. Itaque festo S. Clementis, incepta interim missione loci principis Andahuaylas, dolens sermoni vespertino renuntiare cogit. Postero die ultimam Missam celebrat. Medicus vocatus aegrotantem serio non curabat; erat enim amicus certi viri protestantici, quem P. Chouenc olim

¹ Cfr. *Analecta XI* (1932), 84 sq.

Huanta abire fecerat. Ipse confrater dilectus mali gravitatem ignorasse videtur. Munitus autem omnium morientium auxiliis inter confratrum preces exspiravit d. 24 Martii, quo tempore in ecclesia loci Missa Feriae V in Coena Domini finiebatur et in patria, Anicii in « Podio S. Maria », incipiebat magna illa indulgentia, quae dari solet, cum Parasceve in diem 25 Martii incidit. Ultima verba morientis intelligibilia erant sacratissima nomina: *Iesu, Maria, Joseph!*

Licet ob contagionis periculum corpus iam eodem vespere tumulandum esset, funus triumpho haud absimile fuit; adeo multi Indiani undique concurrerunt ad apostolum suum honorandum. Epistolarum quoque et telegrammatum Huantam missorum multitudo ostendebat, quam multi nobiscum condolerent.

Externo corporis habitu P. Chouvenc haud exiguum S. P. N. Alfonsi similitudinem habebat, sicut notulae eius libello militari inscriptae demonstrant: « Statura 1,75 m. Frons larga. Nasus aquilinus. Capilli nigri. Os parvum. Labia subtilia. Color pellis albus. Oculi caerulei. Facies oblonga. Supercilia regularia. Barba fortis ». Animo vero potius S. Clementis nostri formam referebat activitate sua admirabili cum profunda pietate coniuncta, promptitudine ad capienda magna consilia eaque certo impetu exsequenda. Etiam si defectibus humanis non plane immunis, tamen omibus exemplo erat observantia regulari et spiritu sacrificii. In Marthae opere occupatisimus, sanctam Mariae quietem minime negligebat. Etiam foris in missinibus recitabat integrum Rosarium 15 decadum. In meditatione apparebat immobilis, fulero non utens. Videre eum litantem vel Officium recitantem erat invitatio ad orationem devotam. Admirabilis zelus animarum in eo erat maturus fructus divinae caritatis.

Cum igitur R. P. Chouvenc in vita fuerit inter *homines*, qui tradiderunt *animas suas pro nomine Domini Iesu*¹, secura spes non tenet fore ut omne per aevum inter viros apostolicos fulgeat.